



M. 2, 255^a

cat. 2, 518.

Qu 3 7

VINDICIAE
NOMINIS
B V D D E A N I
CONTRA OBTRACTATIONES
NUPERAS
IAC·FRID·REIMMANNI


Responsio ad cap· I *anticriticae diatribes*, quam
diatribae criticae de uerbo collimare iste
opposuerat

I E N A E
SVMTV VIDVAE MEYERI
C I D I O C C X X V I



ARGVMENTVM

- | | |
|--|---|
| <p>I Cur anticriticae Reimmanni diatribae respondendum putarim, et quo modo</p> <p>II Infensum Buddeo cl. uirum fuisse, probatur</p> <p>III idem ipse denuo in diatribe anticritica declarauit</p> <p>IIII Eius rei causae</p> <p>V Quem fucum praetexat uir clar. censurae libri Buddeani nouae</p> <p>VI Loca duo perperam uirum insimulantur</p> <p>VII Vindicatur speciatim ora pro oris</p> <p>VIII Exstiterus immerito damnari a Reimmanno</p> <p>VIIII § VIII expenditur</p> <p>X Falsum esse, Buddeum pro diabolo ubique genium infernalem dixisse</p> <p>XI Notatur § XI</p> <p>XII De eadem §</p> <p>XIII Quaedam ad § XII</p> <p>XIIII Frustra se § XIII iactare uirum cl.</p> <p>XV Quid mouere de rebus, in thesibus theologicis obuiis, instituat</p> <p>XVI Quid de maris aestu § V</p> | <p>Buddeus docuerit, ac de Tephaphim status</p> <p>XVII Nihil peccasse summum uirum, aliorum laboribus usum</p> <p>XVIII Quos auctores dictis ab Reim. locis Buddeus laudauit</p> <p>XVIII De Vanino et Caesalpino prudenter Buddeum iudicasse, item de Plutarcho</p> <p>XX Paradoxum Buddei primum defensum</p> <p>XXI Summi uiri de patribus quibusdam iudicium</p> <p>XXII De notitia dei insita</p> <p>XXIII Repellitur § XXI calumniam</p> <p>XXIIII Examinata § XXII diatribae ant.</p> <p>XXV Illa secum non pugnare, quae Reimmannus pag. 25. 26. § 23. proponit</p> <p>XXVI Non probari ab eodem, a ueritate aliena Buddeum in thes. adtulisse</p> <p>XXVII Methodum operis Buddeani sine causa reprehendi ab Reimmanno</p> |
|--|---|



VINDICIAE
 NOMINIS
 BV DDEANI

I



I, quanto magis impotentiam ipse suam quis in conspicuo ponit, tanto minus cuiquam debet esse metuendus: non magis uanissimae nos uociferationes Reimmannianae commouent, quam doctissimos homines alios nouimus commouisse. Dantur scilicet in republica etiam litteraria anseres, qui tantum modo clamant, nocere non possunt; quumque clangore et sibilis compleant omnia, abigi tamen queunt nullo negotio, immo ipsi per se cessant strepere, si negligi se et contemni sentiant. Sed molesta tamen sunt haec animalia.

Cur anti-criticae Reimmanni diatribae respondendum putarim et quo modo

A a quis



quis negat? molesta sunt quum alia multa sapienti uiro, tum uero obrectatores molestissimi. Verum Thebani si sint, si plus illis insit vitiositatis, quam ingenii: quis est paullo generosior, qui tolerabiles non existimet? Quae quum ita sint, si grauiora etiam tulit, nullo sane merito suo, summus uir I. F. Buddeus, si in eruditissimos homines complures alios constat clarissimum Reimmannum illulisse, si singula sunt in anticritica ista diatribe et ἀποσδιένουσα, et mentem iniquissimam clare testantia: poterat Buddeus aequis rerum arbitris causam hanc totam permittere, nec habebam ego quidem, quod magno opere ad me censerem pertinere. Sed quum praefracte hoc defendat Reimmannus, in Buddeum se malo animo nec fuisse, nec esse, a me autem non primo solum, sed etiam iniuste impetitum esse; atque quum uerendum quodam modo sit, ne uel pauci, qui hoc ipsi credant, inueniantur: uisum fuit, demonstrare alia omnia, et, quam turpiter sese denuo clarissimus uir dederit,

derit, ostendere. Diuidere autem causam illam placet, et hoc quidem loco ea diluere paucis, quae Buddeo obiecta sunt; peculiari autem schedio uidere, num adtulerit aliquid uir clarissimus, quo mihi credi possit satisfactum. Atque alterum quidem agam hac sub conditione, ut, si perrexerit Buddeo oggannire, responsionis nihil a me in posterum ferat; alterum uero, ut, quae aut ad me, aut ad Latinitatem uiri clarissimi adtinent, studiose persequar tamdiu, quoad illud rem ipsam postulare intellexero

II

Numquam uel sermone, inter familiares habito, aut in concionibus auditorum, uel scripto ullo, laesus est cl. Reimmannus a Buddeo: cui nec antea innotuit aliquid de diatribe mea critica, quam uicina in urbe ab librario perfecta Ienam adferretur. ex quo facili negotio licet cognoscere, quo animo in Buddeum fuerit Reimmannus, quum et saepe alias ipsum carperet, et praecipue in *historia atheismi uniuersali* leuissima

*Infensum
Buddeo cl.
uirum fu-
isse, proba-
tur*

A 3

quae-

quaeque illi exprobraret. Nimirum
 cum summe uenerabili uiro eodem si-
 bi agendum modo censuit, quo agere
 cum aliis dudum consuevit, iisque ho-
 minibus longe eruditissimis, ac de do-
 ctrinarum studiis praeclarissime pro-
 meritis; qui ab eo quae passi sint, in-
 primis (*) IO. MOLLERVS, uir cele-
 ber meminerint lectores, rerum in lit-
 terario orbe gestarum non expertes;
 mihi longo esse non licet. Displique-
 runt hi uiri clarissimi mores doctissi-
 mo *bibliothecae theologiae* (***) *scripto-
 ri*, isque superiori tempore grauius
 admonuit, quemlibet non posse non
 improbare uehementer, quod adeo
 labi in Buddeo, dente improbo ad-
 petendo, uiri clarissimi libido soleat.
 Ipsa scripti elegantis uerba, quaeso, me-
 cum lectores recognoscant: Hiernechst
 ist dieses nicht zu loben / daß Herr D.
 Buddeus bey aller Gelegenheit angezapf-
 fet wird / zumahl / da es offenbahr ist /
 daß hier einige Dinge vorkommen / die
 man vor unbillig erkennen muß / indem
 daraus erhellet / daß man sich recht
 vor-

vorgesetz / einem Manne allerhand auffzubürden / und solches vor gefährlich anzugeben / das doch eben / wenn mans genau betrachtet / so hochwichtig nicht ist / ja das endlich auf ein Wortgezäncke hinaus laufft / da man einander mit Fleiß nicht recht verstehen will. Und wer will das entschuldigen, wenn pag. 84 aufgemuget wird / daß Herr D. Buddeus einmahl *collimare* vor *collineare* geschrieben / und daß jenes kein gut Latein sey? Doch der auctor hat schon in seiner Historie der Jüdischen Theologie gewiesen / daß er gerne dem widerspricht / was Herr D. Buddeus vor ihm geschrieben *Quae, in nouis (***) quoque litterariis Lipsi. repetita, quum legerem ego, ipsamque cl. Reimmanni historiam aetheismi adspicerem; quum uerissima esse uidi, tum facti indignitate commotus hoc ostendendum unice mihi sumsi, Buddeo uocem illam collimare ab ipso omnium minime uitio dari debuisse*

(*) *Vid. Reimman praefat. introduct. in hist. litter. t. IV*

(**) *part. XI*

(***) 1726, p. 598

III

*Idem de-
nuo ipse in
diatriba
anticritica
declarauit*

Verum ita est comparata multo-
rum natura, ut nec humanitati se ad-
commodent, et, si quando superbiae
suae dent poenas, indignentur non mo-
do, sed male facta etiam negent, ac
uideri uelint innocentissimi. Igitur
tantum abest, ut moniti resipiscant ma-
ture, ut potius, uerecundiae semel trans-
gressi fines, bene et nauiter porro se
oportere esse impudentes, arbitrentur.
Dici non potest, quam multa moue-
ant ac moliantur, ut fucum faciant in-
cautis, ut ipsi laqueis, in quos se indu-
erunt, expediantur. Adeo difficile est
inuenire, ubi consistas, si semel ferri
praeceptis coeptus sis, si nimium te ama-
ris, si fauori aut odio subscripseris tuo!
Sane haec omnia in clarissimum uirum
plane conueniunt. Quem in Budde-
um haberet mentis adfectum, adparu-
it, et omnes agnouerunt. Negat is,
malum fuisse, sed ita negat profecto,
ut facto ipso contrarium profiteatur.
Finge enim, quod fieri non potest, fa-
uisse Buddeo uirum clarissimum: quid,
rogo

rogo te, in alienis rebus denuo est curiosus? quid in diatribe isthac anticritica denuo Buddeum tanto adgreditur impetu, quum ipsi res mecum esset, quum defendenda forent sola, quae uenerant in controuersiam? Putatne uir clarissimus, homines tam stultos esse, nemo ut perspiciat, quorsum ista pertineat ratio, et quam prodat uoluntatem? Perspiciunt uero. Itaque sic sibi persuadent, si umquam fuerit Buddeo infensus, iam talem se certo uirum clarissimum praebuisse: nec male uisum quibusdam est, caecam forsitan suspicionem hanc eum habuisse, a Buddeo domesticorum ac familiarium nescio cui *Walacho* scribendae diatribes criticae negotium fuisse iniunctum. Quod quo modo antea, factum non esse, indicauimus: sic, si adhuc uir clarissimus credat, fallitur diu turpiter, ac uereor, ne suo animo alios iudicare uideatur. Stratagemate me litterario usum queritur (*) uir clarissimus: ego uero nec usus sum, et meliori illud, immo optimo iure, de ipso possum confirmare. nam

uersutus et callidus est, quum ita mecum disputat, ut rei, quae agitur, admisceat prorsus aliena, sed quibus hoc uelit tantum modo, uti denuo sit, quod Buddeo doleat

(*) pag. 4, § 4 *diatri anticrit.*

III

*Eius rei
causae*

Possẽm hoc loco multa multorum uerissimaque commemorare iudicia de iniquissima in Buddeum diatribe ista anticritica, quibus sane haud quaquam laetaturum crederem uirum clarissimum. Sed sciens parco: unum cogitet, an uelit agnoscere. Incredibili, dicunt, ardere uirum clar. gloriae cupiditate: itaque laudari uelle ab omnibus, eruditorum adeo principibus, libellos suos; si minus id fiat, indignari, tum cum primis, quum contra ea in pretio esse illos cognoscat, quibus ita, ut perpetuis *παυδοτριβίαις* (eum se pag. 36 uocat ipse,) contriti adsolent, insultarint. Buddeum igitur numquam acerbius odium uiri clarissimi effugiturum, non modo tempora praedicandae illius doctrinae non captantem solícite, sed

sed etiam Mollerianum illud nomen uicturis aeternum chartis suis inferentem. Haec, inquam, et plura de uiro clarissimo existimant alii: ipse autem quid causae proferat, cur, quum nuper stili poenas dedisset, in hac potissimum anticritica diatribe Buddei famam lacerare adeo studiose uoluerit, uideamus. Hic uero in Ianum illum *inficetum*, in *Hipponacta disertum illum*, in *catellum Camptonum*, in *batroperitam ac σπερμολόγον*, (o pulchra nomina, o modestiae et sanctitatis clarissimi uiri insignia documenta!) in illum, dico, Ianum omnis culpa confertur. Hic id (*) egisse traditur quam maxime, ut lectori persuaderet, Reimmannum nullam prorsus, praeter unicam uerbi *collimare* maculam in uenerabilis Buddei thesibus de atheismo deprehendisse. Ego uero nolo mihi irascatur uir clarissimus, libere si dixero, quod Marcus Tullius usurpat de mercantibus, quae statim uendant, a mercatoribus, uidere ipsum, se nihil proficere, nisi ad modum mentiatur neque enim

enim unquam mihi, diatriben criticam scribenti, id, quod uult, uenit in opinionem, nec usquam in illa uerbum unum, quo tale quid significetur, exstat. Leget, si cui uideatur, et, nec uolam nec uestigium adparere, intelliget. Solum scilicet a me monstratum in libello meo fuit, summe uenerabili Buddeo perperam a uiro clarissimo uerbum *collimare* obiici, reliqua nihil morabar; quod facere mei omnino fuit arbitrii. Atque illam litem quum grammaticam esse, satis pateat: apertum est, inique mecum agere uirum clarissimum, quando me, (**) scribit, censura sua ad grammaticorum subsellia releganda fucum scriptioni meae *praetexuisse*. Nam quorsum tandem, si non ad disciplinam grammaticam, referes, de uoce *collimare* tradere, ac de corrupta simul alicuius Latinitate quaedam admonere? quis *fucus* hic est, aut quid me impedire poterat, quo minus hoc *solum* agerem, omisis reliquis?

(*) pag. 7

(**) pag. 6, § 5

V

Is uero fucus certe est, atque haud scio, an omnium turpissimus, quem censurae suae praetexit uir clarissimus pag. 7 eo enim loco Ianum caussatur *crisin sibi extorsisse, imposuisseque eam* Quem fucum praetexit V. C. censurae libri Buddeani nouae *provinciam, ut, quid in stilo, rebus et metodo Buddeani operis se offenderit maxime, edissereret: quod si Ianus non admisisset, uerbum se de iis omnibus facturum non fuisse.* Verum enim uero quae primum ista ratiocinatio est: uisum est Iano, te temere uerbum collimare Buddeo obiecisse: sequitur, ut dicam summo uiro scribas de integro? immo alia omnia erant cogitanda pariter et facienda. Deinde qui potui efficere, quod queritur uir clarissimus? qui *crisin* hanc extorquere? qui se uere etiam ipsius Buddeum suggillandi studium reprehendissem? tantumque abesset, ut extorquere aliquid uiro clarissimo niterer, ut potius uerbo illum nullo molestum Buddeo umquam fuisse, serio, idque ipsius, clarissimi Reimmanni, caussa, cuperem? nisi forte
putat,

putat, defensionem tantum modo me
 simulasse, illudque in uotis habuisse u-
 nice, ut se uelati catena traherem in-
 stigaremq; in Buddeum. Huius ue-
 ro suspicio rei quamquam est eius mo-
 di, ut cadere in me nequeat: tamen fac,
 me tam perfrictae frontis hominem ex-
 stitisse, ut adeo deforme quid moliri
 haud dubitarem: relinquitur nihilo se-
 cius, culpa Reimmannum nequaquam
 uacare, quod trahi se ac instigari passus
 sit. Sed frustra me tam magna crimi-
 natur inuidia, qui adcusare hac in caus-
 sa se unum debebat et animum suum.
 nam hic modo si alius in Buddeum
 fuisset, atque est; tum uero crediderim,
 quod ait, ipsum de omnibus, in diatri-
 be anticrit. contra summum uirum pro-
 latis, uerbum non fuisse facturum. Ex
 isto igitur eius a Buddeo alienissimo
 animo proueniant, quae in hac diatri-
 be anticritica (*) crepat speciatim de il-
 lius sermonis genere lutulento, sordi-
 do, soloecismis, barbarismis et idioti-
 smis deturpato, immo toto fere alicubi
scholastica et Suareziano. Quamquam
 enim

enim cum hac acerbissima censura laudem Buddei egregiam coniungit, non inficias (2) eundo, dictionem eius esse facilem, natiuam, fluidam, et naturali quadam pulchritudine se commendare: tamen fucus hic est, et modus, quo censorium inuoluere solet ingenium, clarissimi uiri proprius. Ego uero sic existimo, quod in (3) diatribe critica professus etiam sum, si uel maxime uera essent, quae cl. uiro uidentur; tamen Buddeo, idque per risum iocumque, male obiici primum ab Reimmanno, qui magis ubique poenitendis peccat, deinde, quod in his studiis totus esse Buddeus aut tenere principatum nunquam uoluit, tum quia perspicuum est, saepe cum aliorum uerba, quibus tantum non omnes hodie adsueti sunt, in orationem transferre suam, et modis omnibus laborare, ut pro plurimorum captu solertiae dicta facile et sine molesta uerborum cura intelligantur. Sane haec si adcusare liceat, quis innocens erit? quae doctissimorum hominum chartae multorum criticam libidinem,

bidinem, aut militarem etiam effugient ferociam? Neque uero illa quoque ratio quidquam hic ualere debet, si quis narret, se officii causa nemini parere, quod in gymnasio sibi docenti una (4) cum rerum et uerborum cura demandata sit. Absurdum quippe ualde fuerit, pueris Buddei de atheismo theses, aut libellum similem, ut in Ro. eloquentiae studio progressum faciant, praelegere: immo Cicero, si sapimus, uersandus, et Nepos ille Cornelius, cum praestantissimis reliquis, eo nomine commendandus erit

(*) pag. 8, § 6

(2) pag. 7

(3) pag. 11, 13

(4) *diatri. anticr. pag. 7*

VI

*Loca duo
perperam
uitii insi-
mulantur*

Verissimam ego de clarissimi Reimmanni Latinitate, seuero aliorum iudice prorsus indigna, sententiam tuleram. Id quod adeo male ipsum habuit, ut infelicis uim supellectilis in diatribe anticritica expromeret, et mihi non modo ostentaret, sed, et iracundi-
am

am arma grammatica contra Buddeum sibi pateretur ministrare. Ridet igitur, quod lacteam Buddeani sermonis ubertatem laudauerim, et primo omnium, uicem, ni fallor, redditurus non mihi, sed Buddeo, ulcisci cupit egregium illud *dignus est, qui fuit neglectus*, productis in medium locis duobus, quae nulla itidem, ut putat, sanari grammaticorum medicina queant. Ego uero, ne egere quidem medicamento, pronuntio, nec, utroque adhibito, derogari quidquam de lactea illa, quam ipse clarus Reimmannus praedicat, ubertate ac naturali pulchritudine. Quamquam enim ipse nusquam dixi, nihil omnino inueniri in summi uiri sermone, quod melius esse nequeat: erit tamen is semper, quem iudicaui, si uel maxime offendat clarissimum Reimmannum *ora pro oris* usurpatum, nec non *exstaturum* pro *exstaturum*, et quae his sunt similia

VII

Nimirum scripserat uir summe uenerabilis in adloquutione ad auditores suos

*Vindicatur
Speciatim
ORA pro
ORIS*

B

suos

suos, quae theologicis de atheismo et
 superstit. thesibus praemittitur: *prae-*
muniendi sunt iuuenum animi, ne ex
 Academiis discedentes, et peregrina,
 quod haud raro fieri solet, ora lustran-
 tes, hominibusque nullius religionis
 admixti, impiis erroribus locum *relin-*
quant. Censet sine dubio clar. Reim-
 mannus, peregrinas hoc loco *oras* dici
 oportuisse, non *ora peregrina*: librarii
 errorem plures forsan, Buddeanae eru-
 ditionis aestimatores iusti ac periti ar-
 bitrentur: ego, etiam illum, qui non
 vitiose scriptum dictumue existimet,
 haud prorsus inepte iudicare, quidni li-
 benter concefferim non modo, sed etiam
 contenderim? *Ora* interdum pro *oris*
 inueniri, crediderunt uiri docti, et lo-
 ca, eaque spatiosa et patentia, ab Lati-
 nis nominari. Docet illud ad *Gratii*
cynegeticon C. *Barthius*, pa. 55; Pha-
 liscus ipse *Gratius* u. 28 ita:

Tunc ipsum *medio* cassem qui nasci-
 tur *ore*

Per senos circum usque sinus laquea-
 bis, ut omnem

Con-

Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem.

Etiam Barthii uerba ponere operae pretium fuerit. Elegantissime, ait, *spatium* inter fila *patens os* adpellauit, consuetudine scriptorum, quibus omne *patens os* perhibetur. Sic *ora* uulneris inf dixit u. 365, quae *oras* Corn. Celsus lib. V. Ita *os τὸ γυναικείον* Celso eadem adpellatur lib. VII, c. 28. Os matricis crebro apud Latinos et Graecos medicos: *σώμα γαστρὸς* Nicander Alexipharmacis

- - ἀκλειστον ἀειρόμενον *σώμα γαστρὸς*

Virgilius: *adtonitae magna ora domus*. Idem — ingentem *lato* dedit *cre* fenestram. Haec Barthii sunt. Florus 2, 17, 7: *victor ad Gades et oceani ora peruenit*. Cui loco uir clarissimus adscripta haec leget in Bas. Fabri thesaurο: *ora* pro *oras* potuit etiam dixisse. Sic Flaccus de condit. agrorum pa. 2: in his litoribus Romani colonos miserunt, qui *ora Italiae tuerentur*. His quidem auctoribus excusate peccauit Buddeus. nam quod *Gratius* potuit, probauit *Bartbius*, quod potuit *Flo-*

rus, quod *Siculus Flaccus*, cur negemus alii licere, ac totum uitiosum, ab nullo uisum, dictum aut probatum, adfirmemus? Nemo mihi iam calamo exaratos codices narret, aut aere exscriptorum uarietates. Valere enim in his etiam dico, quae de multiplici uocis collimare scriptura a me iudicata sunt, et sufficere mihi omnino, quae ex Barthio thesauroque Fabri sunt producta, utpote quae damnant manifeste iniquam istam Reimmani de *oris* uocabulo et significatione illius sententiam

VIII

*Exstiturus
immerito
damnatum
a Reimman-
no*

Aequae facili negotio refellentur, quae d. l. uir clarissimus de uoce *exstiturus* suo adcredere poterat Rhenio, cuius non opinio solum, sed etiam ex Ulpiano productum exemplum, adeo ipsi adrisit, ut nihil supra. Sed quid fiet reliquis grammaticis, Rhenio haud paulo melioribus, si uerum est, quod cl. uir una cum illo Rhenio non dubitauit profiteri, *composita uerbi sisto omnia esse neutra, et facere iti, itum, praeter existo, quod habeat atum?* iam iam
enim

enim cognoscemus, alia omnia illos quidem docere quid ipse efficiet Vlpiani *extaturus*? si lectus etiam fuit *exstiturus*? Princeps dicat sententiam Ge. Henri. Vrsinus, qui parte priori institutionum LL. pa. 756, die composita, inquit, von *sisto* gehen gleichfalls wie die von *sto* mehrentheils absolute, als *absisto*, *abstiteri* --- sic *consisto*, (pa. 757.) *desisto*, *exsisto*, rel. Pa. 680: *Sto* hat *steti*, *statum*, *stare*. Die composita davon haben meistentheils *stiteri*, *stitum* et *statum*, und so zwar öfter *Exsto*, (p. 681) *stiteri*, *stitum* oder *statum*, *exstare*. Praeclara illa grammatica Marchica, pag. 352. uerbi neutrius *sisto* docet tempora duci a *sto*, e quo flectantur *subsissto*, *stiteri*, *stitum*, et modo simili *absisto*, *adsisto*, *consisto*, *desisto*, *exsisto*, rel. Tertia est intercessio Gerardi Ioannis Vossii, rem, quam clarissimus uir, adiutore Rhenio, molitur, impeditura. Ab *existo*, Vossius ait, (*) supinum est *exstitum*, unde *exstiturus* est apud Vlpianum: *si diu incertum*, *heres exstiturus*, *nec ne*, *sit*. Adeo infeliciter ad haec minora de-

scendit clarissimus Reimmannus, qui si haec omnia sciuit, dissimulare certe non debuit: sin uero minus, fateatur nunc, sciuisse Buddeum, huncque immerito et parum docte ab se reprehensum esse

(*) *de analog.* III, 31, pa. 128 extre

VIII

§ 8 *expeditur*

Quamquam nihil, ut uidimus, extricare potuit clarissimus Reimmannus, quo commoti eius ex iudicio pendeamus: tamen magna minatur (*) porro, et non modo plura ait se dare posse talia, qualia dederit, sed etiam barbarissimum sapientia nunc promittit. Intelligemus deinceps, an uocis eius fidem sit exhibiturus, quam antea tanto opere passus est desiderari. Illud interea monitos uelim lectores, me non uidere, qua fronte uir clarissimus praedicet, toto a ueritate (**) caelo deflectere Hermandurum criticum, qui persuasum sibi habuerit, *unicam* tantum modo uocem collimare, quam confodere obelo posset, in *thesibus* uen. Buddei Reimmannum reperisse. ex quo enim diuinare quiuit clarissimus uir, me hoc mihi

mihī persuasum habuisse? Sane diatribē critica manifestum id non facit, nec mea referebat, siue esset, siue non esset una uox ista, quam duceret tristē sustinere notam debere. Hoc negaui, et adhuc pernego, humanum se gessisse satis uirum clarissimum, quum leuissimae rei ueniam Buddeo non daret. namque si reliqua, quod ait, honoris causa omisit: quam ob rem nec unum istud collimare honoris causa omittebat? Sed nugae hae quidem sunt et ofusciae. Neque satis constat sibi uir clarissimus, isthaec addens statim: si unicum illud uerbum collimare tantum exstaret in Buddeano opere, non tamen fuisse ferendum: maculam enim unam deformare uultum, una acetiguttula corrumpi lactis dulcedinem, una fermenti particula uitari massam. nam quidni erat unum illud uerbum ferendum a clarissimo uiro, quum ferenda et honoris causa mittenda existimaret reliqua? Sane si unicam uocem istam ferendam non putat; male se fecisse, fatetur, reliquas ferendo, honoris causa omittas. Quo autem iure ita loquen-

di, ut ipse uult, in aliis uir clar. esse asper exactor non ueretur? quid est, quod sequi doctiores non permittat? Pueris ista suis poterit imperitare: uiri suam sibi eripi libertatem in litterarum rep. non patientur, saltim eum non audient libenter monitorem, qui ipse, quae aliis praecipit, sequi haud solet

(*) *pa.* 9

(**) *p.* 21. § 8

X

*Falsum esse,
Buddeum
pro diabolo
ubique ge-
nium infer-
nalem di-
xisse*

Nunc ad ea attendamus animum, quae promittit uir clarissimus §§ 9. 10. Futurum nempe pollicetur, ut et *ecclesiasticas* Buddeo uoces condonet, nec artium culpet uocabula illa nimirum esse, quae a *Christianis*, antiquis maxime, uel noua ficta sint, uel a Graecis *mutuo accepta*, uel Latinis scriptoribus usitata quidem, sed non eodem sensu in his necessitati et *usui obediendum*: haec uero, (*) artium uocabula, talia intelligit, qualia multa habeant grammatici, philosophi et aliarum rerum diuinarum et humanarum doctores, quorum popularis debeat esse *oratio*.

oratio. Adtendamus ad ea animum, repetam enim, quo rectius deinde cognoscamus, quam religiose praestet uir clarissimus, quae tam liberaliter hic sponndit. An praestare autem dixeris uelle, quum eodem, quo fidem dat, (2) loco, illam non seruet? id quod monstraturus paullo post sum, si probaro prius, a ueritate alienissimum esse, quod a clarissimo uiro scriptum lego, pro uoce *diaboli* Buddeum in thesibus theol. *ubique* dixisse *infernalis genius*. Euoluamus librum, et adspiciamus pa. 582 et 696. illa quidem est: quum *diabolus* cum Michaelē *angelo* super corpore Mosis *contendisse dicitur*: hac uero: *eo, quod* DIABOLVS sub forma serpentis *adparuisset*. et, paucis interiectis: *Diabolum* tamen ad stolidae istius impietatis inuentionem ac propagationem plurimum contulisse, *lubens fateor*. Miratur uir clarissimus, cur *infernalis* uocem sibi Buddeus permiserit: ego demiror, quod tam cito ipsi exciderit, se promississe, futurum, ut in Buddei sermone non improbaret

ecclesiastica nam est omnino eius generis uocabulum *infernalis*, utpote a *Prudentio*, cuius loca bina produxit Cellarius, cur post pa 308, atq ab *Alcimo Auito*, 2, 299, adhibitum. Pessimè igitur idem et in numerum barbarorum, si diis placet, Buddeanorum retulit pa 12 diatr anticrit. Quod ad uocabulum *genius* adinet, illud sic est omnino comparatum, ut satis omnes intelligant, quid nobis uelimus, si quando *malum* aut infernalem genium nominemus. intelligimur etiam, si pro *angelis*, mentibus illis caelestibus ac beatis, *boni* dicantur caelestesue genii. scilicet plane tollitur adiectis quibusdam illud omne, quod in *genii* uoce ambiguum ait *Goclenius*, neque ipsum *angeli* uocabulum plura non significat, quae adiunctis itidem uerbis aliis discriminantur. quo accedit, ut nondum ille *Goclenius* probarit, *angeli*, quam *genii* uocem, esse significantiorem. Sed his nunc non immorabimur studiosius, praesertim quum nec *angeli* ac *diaboli* uocabula *Buddeus* refugiat, nemoque
pro-

prohibeat iure, quo minus, exempla
cultissimorum hominum sequutus, *ge-
nii* uerbo utatur

(*) § 10. *pa.* 10

(2) § 9, *pa.* 10

XI

Demonstratum est, pessime a clari- ^{Notatur}
simo Reimmanno, et contra, quam ^{§ II}
fuerat pollicitus, uocabulum *infernalis*
barbaris adnumerari. Ipse etiam in
reliquis omnibus secum disidet: quod
clarissime adparebit, si ad *pa.* II, § II
adgrediamur, quo loco quot uerba in-
ueniemus, tot exstabant nequaquam
benignae in Buddeum mentis significa-
tiones. Dat praeproperum, ut dicit,
et tumultuarium tantum *catalogum*, ad
alphabeti tamen ordinem digestum,
earum uocum, quas barbaras in Bud-
dei libro inuentas ab se, clamitat. Sed
poterat has horas non perdere uir cla-
rissimus: nam omnes sunt eius modi,
ut inepte notentur ab illo, qui ipse ad-
firmarat, nihil uitii habere, nec a se
reprehensum iri a Christianis homini-
bus (*) uel noue ficta, uel a Graecis
mutuo

mutuo accepta, uel Latinis scriptoribus
 usitata quidem, sed non eodem sensu :
 neque criminaturum se esse (2) artium
 uocabula, grammaticorum, philosopho-
 rum aliorumque, rerum diuinarum hu-
 manarumque doctorum; non popula-
 rem sermonem, non τεχνολογήματα ἢ
 καπηλικά. Talia uero sunt omnia,
 quae improbo labore uir clarissimus
 comportauit. Usurpantur a scriptori-
 bus Christianis, nihil iis frequentius
 eorum in scriptis est, qui philosophiam
 tradunt aut artes ceteras: Buddeo qua-
 re fraudi esse nequeant, dixi (3) supe-
 rius. Iam primum illud *abominabilis*
Hieronymum habere, notum est, idem
adnihilare dixit, et *theologi* recentiores
adnihilatio saepius. *Credulitas* est *Plan-*
ci ad Ciceronem, X ad diuersos 23: *cre-*
dulitas error est magis, quam culpa, et
quidem in optimi cuiusque mentem fa-
cillime irrepit. Pudeat uero clarissi-
 mum uirum, barbara haec Buddeo da-
 re uitio! *Filialis* Augustini est, Serm.
 2 festo pentec. ubi, *filiali obedire amo-*
re, scripsit. *Increatus* inuentum fuit
 apud

apud Lactantium, *spiritualis* apud Solinum, sacris praeterea scriptoribus tritum: de *infernalis* antea habui sermonem. *Relatio* pro *narratione* quum ignoret uir clarissimus: proferam e Minucio Felice. Is c. 2, pa. 12, edit. Iac. Gronouii, Cellarianae pa. 4: *quum, quae per absentiam mutuam de nobis nesciebamus*, RELATIONE ALTERNA comperissemus: placuit, rel. Eiusdem generis est *remunerator*, quod exstat apud Tertullianum, Apolog. c. XXXVI: *remuneratio* uero sic additur a uiro clarissimo, ut incredibilem imponendi aliis cupiditatem declaret, aut notissimarum rerum inscientiam. Si enim Ciceronis aut de officiis, aut de amicitia libellos legisset: non repudiasset uocem optimam. Sed qui legisse credi possit hunc speciatim alterum, qui *καλοσύνητων* iudicauit orationem, quae capite statim III ineunte reperitur? quo de eleganti criticae facultatis documento in posterum dicendi erit locus. In praesentia iuuat e Laelii cap. XIII illa repetere: *nihil est remuneratione beniuolentiae*

*lentiae, nihil uicissitudine studiorum officiorumque incundius: illa item e II de officiis c. XX: a quo expeditior et celerior remuneratio fore uidetur, in eum fere est uoluntas nostra propensior. Dixerat (4) clarissimus uir, ecclesiastica etiam esse, quae Latinis scriptoribus usitata quidem, sed non eodem sensu. Quid est igitur, quod uerbum *seducere* Buddeo uitio uertat? Ignoratne, Latinis quidem esse *seorsim ducere*, a *coetu renocare*, significationem uero *decipiendi*, item *corrumpendi mores* maiorem partem ecclesiasticis deberi? Lege Cellar. cur. poster. pa. 284. O fides alma, apta pinnis! ubi te inueniemus tandem!*

(*) § 9

(2) § 10

(3) § 5

(4) § 9, pa. 9

XII

De eadem s

Licebat ordine cetera quoque ad legem ipsius clarissimi Reimmanni, supra scriptam, exigere, immo de singulis, quod Messalam fecisse *Quintilianus*

lianus memorat, quosdam totos libellos dare. Quis uero ita finis foret orationis nostrae? Quare praestat, pauca praeter ea expendere, quum quisque per se reliqua facile cogniturus sit illis simillima. Docte, ut omnia, summe uenerabilis Buddeus de Epicuro exponit pa. 491. thes. theol. contraria ipsum docuisse adfirmando, cognitionem fieri *ἐδωλῶν ἰμπάτῳσι*, errorem uero ex animi opinatu oriri posse, qui facultate gaudeat, opinatu suo simulacrorum representationi aliquid addendi. *opinatus* uocabulum ita uidetur absurdum clarissimo Reimmanno, ut e Latio etiam proscriptum (*) uelit. Sed suppeditauit istud summe uenerabili Buddeo LVCRETIVS, bonus auctor in primis, qui in quarto de rerum natura, u. 466,

— *pars*, inquit, *horum maxima fallit*

Propter OPINATVS animi, quos addimus ipsi,

Pro uisis ut sint, quae non sunt sensu uisa

Ferat nunc lector iudicium, et eodem tempo-

tempore moneri se a nobis patiat, humanissime prorsus, et honoris, Buddeo habendi, causa, a clarissimo uiro denuo sisti uerbum *collimare*, ad cuius defensionem tamen meam nihil potuit respondere. Mira etiam diligentia, et uelut adhibitis canibus uenaticis, inuestigata est uox *elucescit*, eaque reperta se arbitratur clarissimus uir inuenisse non quod pueri in faba. At pro analogia eiusdem propugnat *Scioppius*, proba omnino, et (2) *Augustini Petri-que Chrysologi* auctoritate firmata. In promptu sunt *Gasperis* uoluntatem *Scioppii* testantia. Nimirum ille *animaduersionibus*, quas adpellat, in *Vossii libro* de uitiis sermonis, edit. Vener. 1647, 12, pa. 13: *elucescit* non satis Latine dici *Vossio* uidetur, pro elucet, patet, planum fit. At enim dilucescere *Ciceronem* et *Liuium* auctores habet. Dicunt enim, quum iam dilucesceret, id est, dies fieret. Iam dilucescebat, quum *consul signum dedit*. *Complicare* pro *colligere* nec pa. 306 thesium, nec ullo alio in libro *Buddeus* dixit;

dixit; ex quo cognoscitur, satis profecto
tumultuarium uiri clarissimi *catalogum*
 esse. Mathematicorum uox est *con-*
stellatio, nec barbara, si *Ioannem Ker-*
audias tom. II obseruat. LL. utun-
 tur *Ammianus*, *Capitolin. Sidonius*, *Fir-*
micus, nec minus in *Tironis notis* le-
 gitur. Adde, rem eodem loco summe
 uenerabilem uirum commutata dicen-
 di ratione efferre hoc modo: quodsi
 ad coniunctionem peculiarem stellarum
 adspectumue se recipiant, dicant, quae-
 so — Aequae, ut barbara, damna-
 ri non potest *figmentum*, *Gelliana* uox,
 itaque scriptoris argenteo aeuo proxi-
 mi, ut de *Macrobio*, *Minucio Felice*,
Lactantio, *Tertulliano*, *Spartiano*, *Pru-*
dentio, taceam. Tandem de *entitas*,
generice, *numerire*, *sensualis*, reliquis-
 que singulis ita censeo, ut in summe
 uenerabilis uiri sermone toleranda di-
 cam eadem, qua in aliis toleramus
 humanitate, iis de causis, quas ante si-
 gnificaui, utque profitear iterum ite-
 rumque, aliter cum illis agi debere,
 qui Buddei sunt similes, aliter cum eo,

C

qui

qui se magistrum eloquentiae pollicetur, atque consummatus undique, et mortalis quidam deus, uult uideri

(*) *pa.* 13

(2) *Cellar. Cur. post. pa.* 302. 303

XIII

Quaedam
ad § 12

Non me poenitebit ullo tempore iudicii mei, quo lacteam Buddeanae orationi ubertatem naturalemque pulchritudinem concessi. Neque clarissimus Reimmannus efficiet umquam, ut rectum illud et uerum a prudentioribus non existimetur. Nemo nunc, ut arbitror, horret amplius egregium illum barbarorum *catalogum*, cui ipse, ut perspeximus, contrarius est uir clarissimus. Atque quem ad modum, meo quidem animo, ipsa doctissimi Vockerodi sententia, a Reimmanno * laudata, fauet Buddeo: ita de idiotismis, quos ostentat, Buddeanae dictionis caue dubites usurpare mecum illud poetae:

— *quod Sisyphus uersat*
Saxum sudans nitendo, neque proficit
bitum

Ipse

Ipse uir clarissimus uix audet pronuntiare, summe uenerabili Buddeo uitio iure uerti loquutiones, quae sunt in omnium ore, et quarum pleni sunt libri cultissimorum hominum. Quare uelut male facti sibi conscius pa. 14 *atque ad hos, inquit, cancellos non inepte referas fortassis sequentia.* Quid ita, uir clarissime? cur *fortassis?* qua propter sic ipse tibi diffidis? Credant itaque lectores, non ad modum inuito ipso Reimmanno, nihil hic etiam esse, quod Buddeanae gloriae ualde timeamus. At dicit tamen is *traducere se turpiter*, et phrasin adeo eam amat prae reliquis. Magnum uero crimen, et qui istuc facit, bidental mouet! Quasi mortales miserissimus tam omnium rerum expertes, nemo ut didicerit, *dedecorare se flagitiis* dici, eodemque *dedecorare* scholiasten interpretari illa *Iuuenalis: squalentes traducit auos, his uerbis: dedecorat parentes suos.* At quam parum distat ab loquutione *traducere auos aut parentes* illa, quam in Buddeano sermone non improbamus, *se traducere?*

C 2

Lege

Lege *Phil. Pareum* lexico critico. Si hoc sibi sumeret Buddeus, ut aliorum notaret Latinitatem, et nihilo secius clarissimi Reimmanni exemplo scriberet: *hoc non est ultra crepidam humanam*: posset ab eo non inique barbarismorum uideri aut idiotismorum fuisse infimulatus. Sed aliam esse uiri summi conditionem, scimus, orationemque, eam uidelicet, quae nullo modo uexari Reimmanniana debeat censura, a qua liberabo etiam antea, quam hinc ad consequutura procedam, extrema § 12 idiotismi suspectis adiunctum locum Buddeanum. Quod itaque poeta cecinit, *casum ubique ualere*: idem de eo loco uere possum praedicare, lector ingenue! Scripserat summus uir pa. 32 thes. theol. *accedunt et alia, quae, quo excusari (Heraclitus) queat, uix permittere uidentur*. Irrepsit in ea uerba, nescio, quo fato, Buddeo certe nec sciente, nec uolente, uocabulum *minus*: quo amandato, unde profectum est, summo uiro reddamus suum; clarissimum uero Reimmannum
 lepi-

lepidis cum idiotis istis ualere iubeamus

(*) § 10

IIII

Eat nunc uir clarissimus, et gloriatur, fieri iam oportere, ut iudicium de se meum damnem! tantum abest, uti id putem faciendum, ut potius, quominus aliter de illo sentiam, uel ieiunis eius de Buddeana Latinitate disputationibus istis impediatur. Nec quemquam mouerit ad quidquam ipsi credendum agmen illud doctorum uiro- rum, quod producit, et cuius esse primipilarius cupit. Vidimus enim, uirum clarissimum in censenda Buddeana Latinitate lynceos oculos aut elephantinam, ut ipse scribit, promuscidem non habuisse: cur eius iudicio et uoluntate timeamus, quos ostentat ambitiose, *Vallas, Vorstios, Borrichios, Gallos Asinius, Largos Licinios, Erasmos, Sciopios, Dornmeieros?* qui omnes, si meliores se clarissimo uiro censores non praestiterint, eundem apud nos, quem ipse, iure obtinuerint locum. Iam si

*Frustra se
s 13 iactare
uirum cla-
risse*

C 3

ipsa

ipsa de re iudicauit male clar. Reim-
mannus: qui rectius posset de eiusdem
rei causis? Nego itaque, pertinere ad
Hectoris Andromachen Scioppiana ista:
transalpinis hominibus ex quotidiano
Latini sermonis inter ipsos usu multa
siue barbara, siue plebeia ac deterioris
notae sic adhaerescere solere, ut postea,
quum stilum adripuere, de Latinitate
eorum dubitare nequaquam in men-
tem eis ueniat. Inde fieri, ut scripta
eorum plerumque minus puritatis ha-
beant, quamuis gratia et uenustas in iis
minime *desideretur*. Haec, inquam,
nego, ad Buddei orationem facere: sed,
clarissimo uiro quodam modo conue-
nire, facile largior. ueras autem ratio-
nis et modi, quo summe uenerabilem
Buddeum obseruamus scribere, causas
supra adtuli in medium

XV

*Quid moue-
re de rebus
in thes.
thcol. ob-
uiis insti-
tuat u. c.*

Non omnes, ut ille ait, aequus
amauit: et est genus hominum, qui,
quum ostentant maxime criticam facul-
tatem, iudicium desiderari suum pati-
untur. quos etsi miserandos duco po-
tius,

tius, quam plectendos: tamen, si mali esse insuper uoluerint, iuste ipsorum retuderis superbiam, et uerum libere loquutus fueris. Quo minus aegre ferre optem clarissimum uirum, si et in percensendis, quae ab illo circa res, in thes. Buddeanis occurrentes, mouentur, scapham, quod aiunt, scapham dixerit. *Res, inquit, pleraeque sunt utiles, praeclarae, et tanto auctore non indignae.* Sed et non paucae in iis *cotidianae*, extemporales, perfunctoriae, et institutae potius, quam absolutae, curis secundis referuatae, eoque animo scriptae, quo Accius quidem tragoedias scripsit, Virgilius uero primos *ingenii sui foetus enixus est.* Si quis in pauca haec conferri uelit, et clarius, quid dicatur, intelligere, sciat is, clarissimum uirum nihil aliud dicturum fuisse, nisi, Buddeanum librum *perfectum* ac diuinum non esse: quod de doctorum uirorum scriptis iudicium quo indignius est critici ingenio, hoc familiarius esse clarissimo Reimmanno, uix quemquam arbitror ignorare, qui illius aut ipsam

antiquitatis litterariae system. ideam legit, aut sententiam de ea, in actis eruditorum Lipsiensibus, Germanice proditis, an. 1713, pa. 486 dictam adeo uere, adeo eleganter, ut supra nihil possit qua de caussa etiam rogo lectores, ut ad eum ipsi locum adeant, si sua illud interesse existimauerint. Ego uero ita censeo, nemini quidquam aut nocere posse, aut prodesse huiusce modi de libris iudicia; Reimmannianum uero illud uel ideo recte contemni, quod nescire nos uoluit, quae in Buddeanis thesibus repererit *quotidiana*, aut *cotidiana*, rel. quaeque sint illa *absoluta*, quae sola possint eius laudem promereri. Sed putemus tamen, res *cotidianas* complecti opus, de quo loquimur quis, et qua tempestate librum confecisse dicetur, in quo cum uerbis res quotidianae haud extant? quid? quod non fallar, si professus fuero, libri confectionem, in quo quotidianum sit nihil, esse ex eorum genere, quae absurda sunt, et plane fieri non possunt. Fac porro, *instituta* haberi non
nulla

nulla in thesibus de atheismo, non *absoluta*, pone, curis secundis a Buddeo referuata. quod hic uitium coargues? nullum, mea quidem sententia; nisi eodem nomine uitiosos dicendos putet uir clarissimus libellos suos ad unum omnes. Sed ita tandem nec illud rectum iudicabit, quod consuetudini suae et moribus conuenerit: qua re qui animus prodatur, quod ingenium, ne aures clarissimi uiri mordaci uero nimium radantur, omitto dicere

XVI

Duo sequuntur, quae ita uiro cl- Quid de
maris aestu
I. F. Bud-
deus docue-
rit, ac de
Teraphim
statuis
tradita uidentur ab summe uen. Bud-
deo, atque si extra omnem controuer-
siae aleam essent posita, quum ambigua
sint adhuc et in ancipiti collocata. al-
terum illud est, *lunam in terra flu-*
xum atque refluxum maris promouere,
ne quiete corrumpatur: alterum, *Te-*
raphim antiquissimis temporibus nihil
aliud fuisse, quam statuas, quas non-
nulli maioribus suis, ad memoriam eo-
rum conseruandam, *consecrarint*.
Nempe commoda, quae plurima telluri
C 5 prae-

praestet luna, summus uir pa. 389 theol. theol. commemorans, aestum etiam, seu fluxum eum atque refluxum maris, in iisdem numerat. Ab lunae motu effici, ut accedant multum aestus maritimi ac recedant, a plerisque eruditorum, physicis praecipue ac speculatoribus uenatoribusque naturae callidissimis tam habetur certum, ut uix ulla opus esse dubitatione uideatur. Vide cultissimas institutiones philosophiae naturalis eclecticae celeberrimi professoris, *Io. Frid. Wucherer*, pa. 125, 193, 196. Quum itaque res tam credibilis esset: summe uenerab. Buddeus etiam hoc poterat adfirmare, finem adeo mirabilis naturae spectaculi existere uideri, ne quiete uitium marinae aquae capiant. Igitur ex mente ac doctrina sapientum loqui censendus est uir summus, non eo animo, ac si res dubitata nunquam foret; neque sensisse ipsum praeterea quid putem, quam quae celebris ille *Sturmius* in phys. conciliat. scripsit pa. 207: adfluxum et refluxum oceani in plerisque litoribus stas uicibus

bus

bus obseruari solitum a luna pendere, uidetur indubium, si quidem et diurna illius uariatio cum lunae motu diurno, et menstrua illius incrementa cum huius incrementis et decrementis mensuris, et annua quaedam illius ἀρχή cum huius annuo ad aequatorem accessu palpabiliter adeo connexa sunt. Conueniunt quoque ad modum cum Buddeanis M. Hieron. Ludolffi uerba in erudita disertatione physico mathematica de fluxu et refluxu maris, Ienae edita 1702, pa. 3: *in specie motus* hic a summo deo in usum hominum multifarium creatus esse uidetur: hic autem usus in homines redundat, dum nimirum eo ipso motu primum oceanus crebra agitatione mouetur, perpurgatur, et sic a putredine conseruatur, sicut enim aer uentis salubribus purgatur et quasi renouatur, ita hic motus aquas a situ ac putrefactione praeseruat. Haec uerborum et sententiae summi uiri aequissima est interpretatio, nec a me impetro, ut credam, alii cuiquam id, quod clarissimo Reimmanno,
in

in opinionem temere uenire potuisse. Miror quoque, et quis non miretur? alteram istam uiri clarissimi de Teraphim aduocationem. Verba scilicet summi uiri premit cl. Reimmannus, ueram autem ipsius sententiam, quae erat in promptu, dissimulat. *Teraphim*, dicitur, antiquissimis temporibus *nihil aliud erant*, quam *statuae*, quas, rel. Est istuc quidem aliquid, sed num sunt in isto omnia? nequaquam. Tamquam digito monstrauit ipse I. F. Buddeus, quid senserit, laudato pa. 735 theol. loco insigni *historiae ecclesiasticae* u. t. quo non perspecto, aequum haud fuerit, iudicare uelle. Adeat mecum, oro, uir clarissimus ad pa. 426, to. 1. hist. eccles. *Enimuero ita sentio*, ait Buddeus, Teraphim initio fuerunt statuae maioribus consecratae, ad memoriam eorum conseruandam: accedente autem mox superstitione, cultu diuino ad benedictionem a maioribus impetrandam, mortales ea *prosequuti sunt*. Perspicuum est, idem utroque loco summum uirum exponere. Quod nimirum

mirum Marc. *Minucius Felix* de profanis hominibus, qui antiquissimis fuisse temporibus, tradit, Octauio, c. XX, gestisse ipsos memorias regum suorum in statuis detinere: sacra deinceps facta, quae adsumta fuissent solatia: idem *uerisimile sibi de Teraphim uideri*, ait, rem positam extra omnem controuersiae aleam, neutiquam nobis persuasurus

XVII

Vellem equidem, ut ex fide bona tandem ageret uir clarissimus, et sui ipse haberet rationem, neque diceret semper, quae dixisse adeo refutasse est. Sed ----- *nec audit currus babenas*, et, modo chartae aliquid illinatur, quale id iudicaturi sint cordatiores, pensi non habet. Nunc enim uanisimo uerborum strepitu philosophica summi uiri scripta desstringit, alienissimo omnino loco; nunc in theses theologicas quaedam perita ab aliis Buddeum transluisse non eo modo ac lege, qua ipse dictator uelit, inuidiose criminatur: postremo nec illud concedit, summum uirum

Nihil peccasse summum uirum, aliorum laboribus usum

uirum in thes. theologicis reliquos ab se scriptos libros laudare. Bone deus! quis feret tandem uiri clarissimi tantam asperitatem? Namque ista quidem illius de operibus Buddei philosophicis oratio obsoleuit iam pridem, re multo magis, quam uerbis refutata. Laudi enim ducitur, si quis, ubicumque ingenio non est locus, plurimum in unum conferat inuenta, contentus, curae testimonium meruisse. Et ipse uir summus praeclare, si quid iudicio, dudum isti respondit * obrectationi, *ubi autem, inquires, aliquid ab aliis, quod cum ueritate consentiat, dictum inueni, id adsumere eclecticico more non dubitauit: nomina autem illorum indicare, instituti ratio et conditio elementorum non permisit: quibus accedit, quod ipsis praelectionibus commodius haec referrentur.* Speciatim ego cogniturus, quantum ponderis ac momenti habeant, quae de *Pet. Baelio, Iac. Thomasio* et *Io. Alb. Fabricio* clarissimus *Reimmannus* (2) narrat; consului studiose ipsos doctissimorum uirorum libros:

libros: uerum nulla ratione potui perspicere, sic usum iis fuisse Buddeum, ut reprehensionem iure meritoque incurreret. Verissimum hoc a me praedicari, quilibet fatebitur, qui idem, quod ego, facere uoluerit, et Buddeana contendere cum Baelianis, Thomasianis aut Fabricianis. Sed uel plane non sunt a Buddeo adlata nomina eorum, de quibus loquimur, uel non ita adlata, ut, quid, quantumue debeat iis uir summus, pateat. Immo uero adlata sunt, uir clarissime, ubi debebant, et ineptum erat ac odiosum, ubique ita lectores admonere: *hoc* atque *tantum* illi debeo, uerbum praeterea nullum: *hoc* et *tantum* illinc petii; ut plane, quae nullius tamen intersunt scire, pernoscat. Sed quum nemo intelligat, quid tandem a uiro clar. postuletur: iniisset profecto haud paruam a cunctis gratiam, si, quid e Baelio, Thomasio et Fabricio sumtum indicare debuisset Buddeus, dixisset, ac formulam ipsam edidisset librorum laudandorum, qua alios una iudicandos arbitre-

bitretur quod quum uisum ei non fuerit ; quare non adcusatus ab Reimmanno summe uen. Buddeus omnium absoluator sententiis , causae nihil est

* Praefati elementis phil. instrum. praemissa, prope finem

(2) § 16, pa. 17. 18

XVIII

Quos auctores dictis ab Reimmanno locis Buddeus laudari

Sed quam careat non solum omni culpa Buddeus, uerum etiam suspicione, adparebit, si, quos adlatis a clarissimo uiro locis scriptores ille laudet, breui dixerō. Pa. 62 de Zenone Eleate exponitur, et *Baelius*, *Laertius*, *Seneca*, *Lipsius*, et ipse *Petrus Baelius*, nominantur. Eadem pa. de *Leucippo* quae dicuntur, testimoniis *Laertii*, *Strabonis*, *Sexti Empirici*, *Tho. Burnetii* et *Pet. Baelii*, (pa. 63,) confirmantur. Redit *Baelii* nomen pa. 64. 65 cum aliis. Pa. 66 de *Leucippo* et *Democrito* *Sam. Parckerum*, *Io. Alb. Fabricium* et *Gabr. Naudaeum*: pa. 72 *Suidam*, *Hesychium Illustrium*, *Ciceronem*, *Diodor. Siculum*, *Lactantium*, pa. 73 *Clementem Alexandrinum*, *Muretum*, *Raynaudum*,

dum, *Baelium*, leges. Pa. 75 de *Pro-*
dico Ceo, adpellatis *Empirico* et *Cicero-*
ne, statim pagina insequenti *reliqua*,
 inquit Buddeus, *de eo suppeditabit Pet-*
Baelius. Nec de *Pet. Pomponatio* a-
 gens pa. 116, 117, 118, 119 reticet aut alios,
 aut ipsum *Baelium*, utpote loco ultimo
 productum cum *Io. Gottl. Oleario*. Pa.
 126, adnot. ** de *Hieron. Cardano* ser-
 mo est; et exeunte illa adnotatione
 pa. 129 *Baelii* comparet nomen. Ea-
 dem ratione est adnot. * pa. 132 com-
 parata, eiusque finis, pa. 137, nomen
Baelianum est. Quid de deo senserit
Aristoteles, breui, sed doctissima ora-
 tione, a uiro summo edocetur non
 modo, uerum etiam, quod negat
Reimmannus, ingenue pa. 41 aduoca-
 tur *Iacobus ille Thomafius*, alii; idque
 non minus fieri uidebis, ubi *Almarici*,
 pa. scilicet 105, adnot. **, ac discipuli
 eius *Dauidis de Dinanto*, pa. 107, men-
 tio habetur; tandemque silentio ne-
 quaquam praeteritur etiam *Io. Alb. Fa-*
bricius, inter eos, quos de *Chaeronen-*
si Plutarcho summe uenerabilis uir e-

D uol-

uoluerat, pa. 91 collocatus. Quae quum ita sese habeant: nihil is fecit, uenerabili persona sua indignum: nihil quoque, *scripta* (1) *propria citans*, perpetravit insolens aut a uiro- rum eruditorum abhorrens moribus et consuetudine. Boni doctoris est, dare operam studiosissime, ut ab se tradita omnibus rite innotescant; quumque referat plurimorum, nosse, quid doceat Buddeus: gratias etiam ipsi habemus, quod indicare idem haud grauetur, quo pacto libros suos usui nobis esse posse, existimet. Atque hoc insigne aliis deseruendi studium adeo Arnaldina, quam uir clarissimus (2) loquitur, regula non damnatur, ut ad alium quemuis, quam ad Buddeum, illa adtineat, atque ita inepte huc arcessatur

(1) *Diatr. anticrit. pa. 18, § 16 extre.*

(2) *Dicta § 16 extre.*

XIX

*De Vanino
et Caesal-
pino pru-
denter Bud-
deum iudi-*

Semina atheismi hic illic summe uenerabili uiro uidentur sparsisse non nulli Aristoteleae philosophiae addicti



placitis, interque illos speciatim *Iul. Casse, item*
Caes. Vaninus, Andreasque Caesalpi- *de Plutar-*
nus. De iis quidem, ut et reliquis, in *cho*
 thesibus theol. c. r. § 24, pa. 109 com-
 memoratis, quaeri primum potest, fue-
 rintne omnes athei, an minus: dein-
 de, an *systema sibi*, ut summus uir pa.
 219 loquitur, *atheisticum* formarint:
 tum, abierintne in quibusdam ab Ari-
 stotele, an sectati illum in omnibus
 sint. Horum itaque quid uerum sit,
 quid falsum, quando rebus uincere ma-
 nifestis non licet: caute, mea quidem
 opinione, et pro ea, qua est, pruden-
 tia uir summus (*) iudicat, quo pa-
 cto, quibusque conditionibus queat
 dici, non aliud homines istos admis-
 se, quam *formarum* illud et *qualitatum*
systema, ab Aristotele probatum. Quae
 si aequa lance uoluisset ponderare uir
 clar. abstinuisset se omnino a uanis fal-
 sisque uocibus, quibus uirum summum
 incesit § 17. Apertum enim est, non
fluctuare aut *uacillare* ipsum in senten-
 tiis aliorum enarrandis et diiudicandis:
 illa uero oratio, qua de Spinoza uir
 D z cla.

clarissimus simile contendit dictum Buddeanae sententiae, nimio opere claudicat. Neque rectius probat Reinmannus pa. 19, *in mente sua explicanda* Buddeum ancipitem esse et ambiguum. Atheismum Plutarcho a *Petro Molinaeo* obiectatum pa. 91 thes. theol. docet uir summe uenerabilis, idque *ea de causa, quod atheismum superstitione tolerabiliorem pronuntiarit*. Ast nondum id ex eo confici, memorat, I. A. Fabricium iudicasse ideo, quod non de quolibet atheismo, nec de quacumque superstitione illud intellectum uoluerit Plutarchus, hoc tantum modo professus, in rerum natura esse genera superstitionum, quibus in transuersum acti plus noceant hominibus, quam ii soleant, qui sola falsissimarum rerum speculatione adquiescant, et *naturae quadam bonitate, quae uerba sunt Fabricii, non admittant, errorem hunc in actiones integrum suas influere*. Fabricio laudato, idem se Buddeus de Plutarcho sentire, confirmat; id quod a uacillatione, quam uir, clar. nobis confingit,

fingit, aequè remotum est longe, quam quae idem Reimmannus subiungit, a uero discedunt: namque neutiquam negat summus uir pa. 789. 790, *quaedam superstitionis genera maiora hominibus aliis damna inferre, quam speculatiuum quorundam ineptorum hominum atheismum*. hoc potius docetur, quum superstitione coniuncta cum improbitate maxima esse queat, ex eo non sequi, ut dicenda sit atheismo deterior. Generatim nempe hoc loco Buddeus de atheismo pariter et superstitione loquitur: illo priori loco sigillatim de quibusdam, quae quum a superstitione, tum ab atheismo proficiscuntur. Aliud uero certe est dicere: superstitione atheismo non est deterior; aliud, quaedam superstitionum genera pestilentiora hominibus sunt, quam *quoddam* atheismi genus, nimirum, iste *speculatiuus*. Miror, istuc e rationalis disciplinae libris uirum clarissimum non didicisse, et tamen olim *calendario* litteratum orbem *logico*, eoque prorsus insigni, beasse: unum didicit ita probe, ut eius etiam

D 3

tenere

tenere principatum uideatur, λεξιθηρεῖν
 scilicet, ac audacter alios calumniari:
 quo pertinet in primis tertia illa de *pa-*
radoxologiis Buddei argutatio

(*) *Pa* 299 *thes. theol.*

(2) *Pa* 19, n° 3 *diatr. anticrit.*

XX

Parado-
xum Bud-
dei primum
defensum

Paradoxa esse illa quidem mirabi-
 lia et contra uulgi opinionem solere,
 sed tamen uerissima haud raro, censeo:
 illa saltim, quae adsequi et capere non
 potuit in Buddeanis thesibus cl. Reim-
 mannus, et παραδόξων ornat nomine,
 bona sunt oppido, nec uiro sapienti
 turpia: Religionem summus uir *gu-*
stum uocat rerum diuinarum: Auri-
 culas utinam hic arrigat uir clarissimus!
 Sed obturat ille potius, ne, quid *religio*
 sit Buddeo, quid *gustus*, intelligat.
 Itaque non poterat aliter fieri, quam
 ut lectori (*) obtruderet naenias et
 Sicalas gerras, *prono amne* ex illa reli-
 gionis finitione eas fluere, uaticinatus.
 Religionem se Buddeus serio adfirmat
 (2) *accipere in significatione specialiori*
pro cultu numinis, et quidem interno.
 Reim-

* *pa* 20 21
diatr. an-
ticri.

" (2) *thes.*
pa 319

Reimmannus non audit. Veram et sufficientem numinis cognitionem ab illa non separat uir summus. Reimmannus non audit. Cultum numinis *internum*, pergit (3) Buddeus, in Chri- (3) *pa* 321
 stianis spectatum, in amore, timore numinis et fiducia filiis dei digna, prout ea omnia ex uera fide orientur, consistere; eum igitur cultum sine perceptione, *αισθησι* et experientia spirituali esse non posse, quam *αισθησι* et experientiam ipsa scriptura sacra I Pet 2, 3; Ebr VI, 5, 6, *gustus* nomine exprimat; atque eo quidem, *non alio*, sensu se dixisse, religionem nihil aliud esse, quam *gustum rerum diuinarum*. Reimmannus non audit. *Posse aliquando*, inquit (4) Buddeus, accidere, praefer- (4) *pa* 322
 tim in tentatione grauiori, ut gustus ille, seu *αισθησις* cesset: sed id et similia in censum hic non uenire, quum loquatur de eo, quod contingat, si effectus, qui *sequi poterat ac debebat*, aliunde non impediatur. Nihilo secius uir clarissimus, uti esset, quod blateraret, sequi, ait, ex Buddeana religionis

D 4

defini-

definitione, ut cessante gustu, qui tentationis tempore et cessare possit, et cesset saepius in uiris piissimis, *cesset etiam religio*. Id uero est a baculo ad angulum, et *calendarii logici* obliuisci nimis! Frustra monuit Buddeus, responderi facile ei posse, qui obiiciat, religione nos seruire deo, gustu autem non deo nos seruire, sed nobis; item, gustum non tam actionem esse, quam passionem, cauillanti. Respondet etiam uir summus docte et curate. Frustra. Reimmannus enim, noua disputandi lege, contendit tamen, sequi, ut, quia sit passio gustus, etiam religio non sit actio, sed passio; ut religio non sit ratio colendi deum, quum gustu *deus non colatur*. Sed dubitant uiolenti, haesitant, reuocant se interdum; ipseque uir clarissimus, uelut suspicatus, hac rem non processuram uia, ad-

(5) pa 21
diatri an-
ticitu.

greditur (5) alia. Si uel maxime, inquit, quod disputatur, distinctionibus, quarum non exiguum Buddeus adtulit cumulum, possit extricari: quid adtinebat definitionem nouam et paradoxam

xam

xam adtulisse, cuius integritas tot subtilitatibus *scholasticis erat redimenda?* Lepidum caput! non apud Buddeum legisti, fauere ei definitioni *Lactantium*, fauere ipsos scriptores (6) sacros? Deinde quid erat, quod tu negligeres *distinctionum earum cumulum?* Si intelligebas minus: perperam obtinebas sollemne tuum antiquum, et alienis te rebus immiscebas: sin uero intelligebas; quam ingenue cum Buddeo egeris, uel me non monente, uident omnes. Integrum erat *Musaeo, Botfacco, Calixto, Proeleo*, aliis, cuique suis, quibus uidebatur, uerbis religionem describere: cultum dei internum cur Buddeo non licebat adpellare *gustum diuinarum rerum?* *Nouam*, et a nemine adhuc tentatam I. A. *Scherzeri methodum* cl. uir praedicat: cur Buddeanam definitionem, quod *noua* ipsi uisa est, ab sacrorum disciplina arcendam arbitratur, non fane fictam eam, quae Reimmanniana criminatio est, ad ingenii subtilitatem ostentandam, sed optimo consilio cum hominibus doctis a uiro summe uenerabili communicatam?

XXI

(6) theol.
pa
319. 321

XXI

Summi uiri
de patribus
quibusdam
iudiciura

Cramben, quam in *historia uni-*
uersali atheismi iam fastidierant legen-
tes, recoquere hic in (1) anticritica dia-
tribe non dubitat uir clarissimus, idque
hac ratione, ut uociferetur etiam, frau-
di esse Buddei doctrinam *ecclesiae Chri-*
stianorum, et ipsius christianae religio-
nis *petere iugulum*. Haec forsan esse
alicuius pretii uideri possent, nisi, quod
de Seiano poeta prodidit memoriae,
Reimmannus et adcusator et testis et
iudex foret. Nunc nihil eum mora-
mur, quem liuor

*Iusserat in rabido gutture ferre
nolant*

Summe uero uenerabilis Buddeus pa-
trum, quos uocant, *quarundam*, tes-
tes ueritatis contra polytheismum gen-
tilium undique conquirentium, et ab
atheismi suspicione facile absoluentium,
quorum testimonia sibi usui esse puta-
rent, effata (2) negat se *magnopere cu-*
rare. Iam quid inde periculi? Hoc,
inquit Reimmannus, ut fides ff. patrum
in allegandis philosophorum *dictis ua-*
cillet

cillet et religio. Non omnium, bone uir, non in omnibus; non eorum, de quibus credibile haud est, ipsos egisse idem, quod *quosdam* patrasse Buddeus uerissimile iudicauit. Nec religio uacillabit, de qua quum reliqui praeclarissima et optima quaeque docuere, tum uel ii ipsi, quorum in testimoniis de profanis hominibus dicendis fides sublesta est, uera tradere potuerunt. *At mala* fecerunt ea ratione rei christianae antistites, ut inde *euenirent bona*. Non omnes, uir clarissime, non semper: id quod de ceteris etiam ualet, quae periculosa e Buddei uerbis elicuisti. Homines fuere patres illi, non dii. Quare non modo peccare multa potuerunt, sed peccarunt etiam grauissime; quod inficias haud eunt, qui aut e legendis eorum scriptis hospitem non retulere animum, aut bonis quaerendum esse credunt, non quid baiuli atque operarii, sed quid homines doctissimi ea de caussa senserint. Quorundam tamen culpa nemo metietur omnes, nec in aliis non plurimum uale-

ualebit eorum auctoritas, quos in quibusdam errasse rebus, aut male etiam aliquando egisse, argueris atque quem ad modum, si Titius insulsa credat scriptitue, aut pessima aliquando designet, sua Christianorum hominum religioni nihilo minus constabit dignitas: ita eadem sanctissima religio detrimentum non capiet recto illo et uero Buddei de patribus iudicio, atque adeo uiri clarissimi repulsa criminatio recidet ad nihilum

* Pa. 22, § 19

(2) Pa. 48 *iber. theol. et pa.* 73

XXII

De notitia
dei insita

Dei notitia insita si non datur, inquit uir clarissimus, nisi potentia: ea sane non datur prorsus quia (id), quod non est actu, illud ne est quidem. Agit ergo hic etiam more andabatarum Reimmannus, et *notitiae insitae* uocibus ludit mirifice! Atque quam aberrat longe a scopo telum illud, quod uibrat *μετὰ Φυσινὲς Ζεύς!* Falsum quippe dico, id, quod *actu* non est, ne esse quidem in rerum natura ulla ratione

Qua-

Quare notitia illa dei, insita in mortalium animis, licet ea non sit, quam mente complectitur uir clarissimus, hoc est, idea, quae omnium hominum animis, et semper, insit; tamen ea propterea non est nihilum, sed uirtus est, facultas est, potentia est, eaque *propinqua*, non quaelibet ac *remota*, iuncta inclinationi cuidam et propensione ualidissimae efficacissimaeque, ac statim sese exferenti, quum primum homines, rationis usu pollentes, deum esse audiunt, ita, ut illud non possint non uel inuiti credere. Et haec quidem Buddei ea de re, et maximorum doctissimorumque uirorum, est opinio. leg. theol. pa. 361. *Io. Musaeum*, introd. in theol. pa. 12: institut. theol. moral. Buddean. pa. 398, ac theol. dogmat. insit. eiusdem, pa. 264. Quis dixerit igitur, hic in censum uenire, quae uir (1) clar. de notitia artis sculptoriae, pictoriae, et typographicae philosophatur? quis earum artium eius modi insitam hominibus ab natura notitiam somniet, cuius intelleximus esse notitiam
diuini

diuini numinis naturalem? Non ma-
 ius ex illa uiri cl. momentum pendet
 conclusiuncula: *nulla ignoti cupido est*:
 sequitur itaque, ut *propensio*, quam
 quaerimus, *nulla sit*. Alia enim pror-
 sus *cupido* est, alia *propensio*: illa actus
secundus est, philosophorum uocabulis;
 haec nequaquam: itaque ex illa qui-
 dem *cupidine* nihil effeceris, quo con-
 uellantur fundamenta *insitae* dei *noti-*
tiae, quam *λείψαιον* omnino dicimus
diuinæ imaginis, auctore diuino Paul-
 lo epist. ad Rom. scripta, 2, 15, quaque
 sustineri fatemur, tamquam ualidissimo
 ribicine, et *συμμαρτυρέσαι* illam *συνεί-*
δησι, et ipsam, quam uocamus, theo-
 logiam naturalem

(1) Pa. 22. 23 *antrixri diatri*

XXIII

Repellitur
 s 21 calu-
 mnia

Si uel ipse ab inferis existeret
 Confucius ac testaretur, prudens esse ad
 modum clar. Reimmanni iudicium,
 quod de Buddeo tulerit, *illum*, pro-
 fessus, *pneumaticae et theologiae natu-*
ralis neruos incidere, eamque paradoxo-
logiis obscurare atque tantum non ex-
stinguere; si, inquam, haec ipse lau-
 daret

daret Confucius: hominem tamen ego quidem non audirem, sed mentitum turpiter ad umbras relegarem suas: qui enim id, quaeso, facere putandus erit Buddeus, cuius ea (1) est doctrina, *materialem substantiam cogitare non posse: nullo pacto (2) concipere licere, quo modo substantia materialis capax esse queat operationum animae: quum (3) constet, adtributum, seu proprietatem praecipuam spiritus esse, cogitare, si cogitationem cum extensione, ceu praecipuo materiae adtributo, conferamus, evidentissime cognosci, spiritum seu substantiam cogitantem, qua talem, non posse esse substantiam extensam, et uersa uice, rem extensam, seu corpus, quatale, non posse esse substantiam cogitantem, uel, quod eodem redeat, materiam non posse cogitare?* Haec, ut dixi, uera Buddei doctrina est: quamquam enim cl. Reimmannus isthaec ipsius ethes. theol. expromit uerba: temerarium esse, si quis dicat, naturae materiali repugnare, si cogitet: tamen, nisi improbitatem suam repraesentat nihil, et,

et, si uicem ei quis reddere eadem ratione uoluerit, quis sit futurus clarissimus uir, honoris causa nunc reticebimus: nam laudantur illa plane sic, ut principem istum ac parentem calumniatorum Soteri optimo maximo laudasse olim sacras paginas, accepimus; adeo lacera et manca sunt, ut Absyrti fabula in iis renata esse uideatur. Buddeus uero in hoc totus est, ut ostendat, nihil eos adferre, *qui essentiam spiritus in cogitatione constituunt*, atque illa ex *essentia* conantur et materiae expertes, et immortales efficere animos. Velle homines eos, ait uir summe uenerabilis, ex re ignota, et quam perperam uenditent certissimam, uerum elicere: id ferri non debere, quod ex re prorsus obscura et incognita, qualis corporum materiaeue ac spiritus essentia sit, nemo sanus quidquam sibi patiat demonstrari: igitur temerarium fore, si quis dicat, naturae materiali repugnare, si cogitet; nam loqui ipsum de materiae *essentia*, nulli fatis nota, atque ideo re eius generis, e qua uerum aut
fal-

falsum aequè postules *temere*, quam e pumice aquam : temerarium fore, si quis credi sibi debere contendat ita ratiocinato : immateriales sunt spiritus et immortales, quoniam haec est eorum *essentia*, ut cogitent : poni enim denuo fundamentum in re incognita; in eo itaque compagem nullam firmis nexibus niti posse. Liquet iam, qua sub conditione Buddeus *temerarium* iudicavit, si quis dicat, naturae materiali repugnare, si cogitet; atque quum ipse uir summus rem in thes. (4) theol. pluribus persequatur, non est committendum, ut illam quidem dubiam defensionis sollicitudine faciam

(1) pa. 425 thes. theol.

(2) *ibid.* pa. 422

(3) pa. 500. 501 thes. theol.

(4) *adde* bescheidenen Beweis wieder Herrn Christian Wolffens nöthige Zugabe, pa. 25 seq.

XXIIII

Tantum, inquit uir clarissimus, *Examined*
 de θεωρησιᾷ decedit nouella Buddei § 22 diatr.
anticris.

E

de

de cabbala sententia , quantum roboris accedit ad *cabbalam apostolorum statuminandam* quod profecto est non melioris notae iudicium , quam superius illud , cuius praemium quoque nuper tulit *critici* non modo *famosi* , sed etiam *theologi* , titulum , quum nempe , nisi artifex , de artifice iudicare nemo possit. Videri quidem clarissi Reimmannus uult noui aliquid inuenisse , paradoxum illud Buddeanum iactitans , *scriptores n. r. non nulla ex cabbala Iudaeorum ueterum accepisse*. Verum quis est tam imperitus rerumque omnium rudis , quin clare uideat , clarissimum uirum hic etiam eadem , qua dudum oberratum est , chorda oberrare ? nihilque adtulisse criminationis , quod non multo ante tempore fuerit repulsum ? Ipse Buddeus pro se satis loquitur , et non *theses* tantum *theologicas* uiri summi curatius (1) expendendas in praesentia commendamus , sed etiam illius *delineationem breuem cabbalae ueterum Ebraeorum* , to 1. obseruation. selectar. Hallensium , pa 1 seq. *disqui-*

*disquisitionem theologicam de modera-
mine inculpatae tutelae in controuersis
theologicis*, et non minus utilem ad
multas res, quam doctum librum phi-
losophi magni, ausführliche Abfertigung
der unbefugten Beschuldigungen /
rel. praescriptum, ac Ienae 1709 edi-
tum in uulguſ. *Ex cabbala pura*, in-
quit summus (2) uir, seu *doctrina cat-
chetica Iudaeorum ueterum scriptores
noui testamenti nonnulla accepere*. cla-
rissimus uero Reimmannus hoc repre-
hendit, quod non addiderit Buddeus,
*quae (3) illa purior cabbala fuerit, et
quo criterio ab impura sit discreta, uel
discernenda*. Mira postulatio! non ui-
derat uir cl. illa Buddei uerba: (4) *ut
hoc τίς ἐν παρτίδῳ moneam?* Num igno-
rabat, ante multo, et ab aliis dictum,
quae esset *pura cabbala*? Poterit illud e
libris, quos nominauit, discere. Nec
tempus locusque postulabat, ut doce-
ret uir summus, a quibus *cabbala ea
pura* tot nubilis temporibus intemera-
ta et facta tecta conseruata fuerit. Hoc,
inquam, Buddeus non agebat; nec il-

lud etiam , ut pateret , qua ratione ad
apostolos , homines indoctos et abditis
litterarum fontibus non tinctos , sit de-
uoluta . Poterit autem id quoque di-
ctis e libris clar . Reimmannus discere .
 Non magis necessarium erat , ut ora-
tione Buddeus adtingeret , quae et qua-
lia suae narrationis haberet documenta :
 quum illud itidem sit factum pridem .
 Tantus uero tamque *famosus criticus*
ac theologus adeo indoctos credit homi-
nes apostolos , ut , scisse nihil de theolo-
gia Iudaeorum catechetica , aut re-
bus , in gente illa notissimis , profitea-
tur ! id quod aequè ipso indignum est ,
ac illa , quae adduntur , in uniuersa s . s .
ne γρὺ quidem de cabbala , immo potius
contrarium , exstare , ac theologos anti-
quos et recentiores contra Buddeum fa-
cere .

Pergula pictorum , ueri nihil , o-
mnia falsa ;

et silentium clamant ac uiro clarissimo
 imperant non modo scripta , quae lau-
 dauimus superius , sed et maximorum uiro-
 rum , *Schickardi , Waltberi , Glassii ,*
Pfeif-

feri , Carpzouii , aeterna litterarum
monimenta

- (1) ca. VII, § 7, adnot. pa. 652
 (2) pa. 652 thes. theol.
 (3) diatri. anticr. pa. 24, § 22
 (4) d. l. thes. theol.

XXV

Inter ea, quae in thesibus theolo- Illa secum
non pugna-
re, quae
Reim. pa.
25, § 23
proponit
gicis uir cl. *manifesto secum pugnare*
nugatur, primo ponuntur loco a sum-
me uen. Buddeo tradita de libro *de tri-*
bus impostoribus. I. C. Vaninus, ait cl.
Reimmannus, *librum de tribus impo-*
storibus recudi curauisse dicitur pa. 126,
et eodem cap. et par. pa. 112, dubitari
adhuc, an unquam eius modi liber exsti-
terit, et paullo post, recte doceri a uiro
doctissi. B. G. Struuio, eius modi li-
brum numquam esse editum. Sed hic
etiam turpiter labi uirum clar. ne quid
dicam grauius, nemini dubium erit,
qui ipsum Buddei opus inspexerit. nam
falsissimum est, docere pa. 126 uirum
summum, I. C. Vaninum librum de
tribus impostoribus recudi curauisse.

E 3

Ver-

Verba Buddei haec sunt: *non omnia, quae de eo, I. C. Vanino, uulgo narrantur, et lubrico ut plurimum fundamento nituntur, adprobo. Huc inter alia et illud refero, quod librum de tribus impostoribus recudi curauerit. Quid? Buddeusne hoc loco dicit, a Vanino librum illum recudi curatum? o incredibilem uiri cl. audaciam, et omnia turbandi ac peruertendi libidinem! Non adprobat uir summe uener. quod de Vanino circumfertur, librum de tri impostoribus eum recudi curauisse. Quid ita? Quoniam dubitatum fuit, et adhuc (1) dubitatur, an umquam eius modi liber exstiterit; quoniam *Rich. Simonius* illud negat; quoniam negat *Struuius*. Iamne igitur te, clarissime uir, idonea ratione erroris reuici? Reuici sane. quare tu, quod (2) promittis, exsequere nunc propere, *et uictus herbam mihi porrige!* Eiusdem uero farinae sunt pa. 25 consequentia, quae sponte singula corruent, si meminisse eorum uelimus, quae sunt a me supra § XXIII disputata. Quumque*

que uir summus pa. 718. 719 , tradat ,
si effectus quosdam sidera in hisce sub-
lunaribus producant, eos non alios quam
mere naturales, qui per se ad moralia
non pertineant, esse posse: paullo post
uero: *astrologiae* magistros , ut eo tu-
tius ab astris fata hominibus arcessant,
supine eo secure praeteruolare causas
proximas , a quibus praecipue homi-
num mores progignantur , parentum
indolem , sobolis nutritionem, educa-
tionem , *aeris circumfusi conditionem:*
quilibet, rationalis disciplinae non plane
expers, cognoscet, haec aptissime in-
ter se cohaerere, ita uero demum sibi
Buddeum fuisse contrarium futurum,
si aeris conditionem siderum dixisset ef-
fectum eius generis, qui *per se et fata-*
li euentu hominum informet mores.
Tandem e summi uiri thesibus theol.
pa. 264 discitur, *Renat. Cartesium* er-
rores quidem quosdam in doctrina de
anima admisisse; discrimen tamen ma-
ximum inter corpus et spiritum lucu-
lenter ostendendo fundamenta solida im-
materialitatem et immortalitatem ani-

mae *demonstrandi suppeditasse*. Iis quidem non congruere ait cl. Reimmanus, quod a Buddeo confirmetur pa. 278, *uideri Balthas. Beckerum spiritus notionem, quam ex Cartesiana philosophia hausserit, et qua essentia eius in cogitatione constituatur, eum induxisse in errorem, ut crediderit, spiritum agere in corpus non posse*. At uero clare hic denuo suam uir cl. prodit *ἀσυλλογισίαν*. Si enim corpus inter et spiritum discrimen maximum luculenter Cartesius ostendit, non sequitur, ut nullam suppeditarit spiritus notionem, quae in errorem potuerit quemquam inducere. nam illa spiritus notio, qua *essentiam* eius esse cogitationem Renatus docuit, et falsa est, et inductus ea ac deceptus Beckerus in primo ueluti fabulae suae actu, ut histrio inexercitatus, corrui. quod quo pacto factum suspicetur uir summus, ex elementis philos. theoret. part. VI, c. 2, §. 2, pa. 340, 341, intelligetur

(1) pa. 112 *thes. theol.*

(2) pa. 52, § 18, *diatri. anticr.*

XXVI

Mos est clarissimo Reimmanno, *Non proba-
ri a Reim-
a ueritate
aliena
Buddeum
in thesibus
adtulisse*
multa loqui, et ubique *sexcenta* minari a Buddeo errata. Putes igitur, eum promissorem saltem in diatriba anticritica uel adtulisse grauisima quaeque, uel dicta, pro eo, ut par erat, probasse. Sed neutrum factum est, et eo speciatim loco, quo a ueritate oppido aliena summum uirum scripsisse in thes. theol. demonstrandum erat, uerba inuenimus, at praeterea nihil. Falsum igitur dicit, quod legatur in thesibus uiri uenerabilis, *ethnicos libros Mosis ignorasse*. Verum pono integrum Buddei locum. *Quum* Mosis, (1) inquit, libros ethnici ignorarent, aut non admitterent, fieri aliter non potuit, quam ut meras ineptias proferrent, quoties de origine humani generis *uerba facere adgrederentur*. Vix, ac ne uix quidem, mihi persuadeo, in ea uirum clarissimum esse haeresi, ut credat, Mosis scripta hominibus profanis omnibus deorum-
E 5 que

que cultoribus nota fuisse : neque id putabo , quemquam temere inueniri , qui inficias eat , quibusdam a uera alienis religione mortalibus eadem innotuisse quod quum perspicua etiam Buddei uerba satis indicent , perperam ab Reimmanno , ut adsolet , truncata : a ueritate hic alienus quidem uir clarissimus , Buddeus uero eidem est proximus . Deinde negat Reim. *cuncta atheorum (2) systemata ad quatuor genera reuocari posse , Aristotelicum , Stoicum , Epicureum et Spinozianum , et quae huc reduci non possint , digna non esse , ut eorum habeatur ratio .* Ast uero quod negationis suae causam uir clarissim. nullam habet , nec *systema* nominat , quod ad illa quatuor nequeat referri , et dignum tamen sit , cuius habeatur ratio : non sum ita demens , ut credendum ei quidquam arbitrer , qui uerba nobis adeo saepe in diatr. anticredidit . Tandem nec illi dat deformitati colorem ullum uir clarissimus , qua inficiatur , trium , quas Plato statuit , *ὑποσάσεων* nomina in his (3) Macro-
bii

bii uerbis reperiri : *aut deus summus est ; aut mens ex eo nata , in qua species rerum continentur : aut mundi anima , quae animarum omnium fons est*. Labet scire , quid caussae sit , de qua istud *ueritati historicae* aduersari dicatur. Sed quum maxime loquendum esset , silet maxime et quiescit uir clarus. Igitur quando nihil nos impedit , quo minus in uiri summi eamus sententiam : hoc libentius id facimus , quo locupletior testis est opinionis huius *Iacobus Thomasius* , qui non ipse solum Macro- bii uerba de Platone accepit , sed duo praeterea scriptoris eius locos , quos addam , (4) commendauit. alter est in primo in s. Scipi. ca. XIII , pa. 70 : quum *a summo deo mens* , ex mente *anima sit* , rel. alter in eodem , ca. XVII , pa. 82 : quod autem hunc istum extimum globum , qui ita uoluitur , summum deum uocauit , non ita accipiendum est , ut ipse prima caussa et deus ille omnipotentissimus existimetur : quum globus ipse , quod caelum est , animae sit fabrica , *anima* ex mente
pro-

processerit, *meus ex deo*, qui uere summus est, procreata sit

(1) *pa.* 434

(2) *uid. thes. theol. pa.* 225. 234

(3) *in Somni. Sci.* 1, 6, *pa. m.* 32. *thes. theol.* p. 261.

(4) *de Stoïca mundi exustione*, *diff.* XXI, § 9, *pa.* 250

XXVII

*Methodum
operis Bud-
deani sine
caussa re-
prehendi ab
Reim.*

Quum recte et ex uero (1) ad-
moneat uir clarissimus, in rep. littera-
ria sub rege nos aut dictatore tribuni-
tiaue potestate non esse: tamen, si
quaerimus, ea postulat a Buddeo, quae
nemo ab se impetrari debere putet, ni-
si tribunitios ad clamores muliebriter
expauescens. Sua cuique est cogitatio
animi, et proprius color, atque uix
quidquam scribentibus, quam *metho-
dum*, ut uocant, liberius esse uolunt
docti homines. Qua communi omni-
um libertate summe uenerabilem ui-
rum optime usum fuisse, uel ex eo in-
telligitur, quod Reimannus, (tan-
tae sunt uires ueritatis!) non possit non
lau-

laudare , ac (2) praeclaram thesium
theologicarum *methodum* praedicare.
Verum *in partibus non nunquam defi-*
cit , ex ipsius sententia. Credo , si li-
bros Reimmanni scribi arbitrato oporteat.
Historia superstitionis tota omissa
est. Quis enim talem superstitionis hi-
storiam , qualem atheismi Reimman-
nus dedit , a Buddeo desideret ? *Diffe-*
rentia superstitionis et hypocriseos indi-
cata quidem est , sed non explicata. Ut
non explicata , uir clarissime ? nemo
enim nouit , quid flagites. nec a uiro
summo plus exigi poterit , quam scri-
psit. pa. 796. 797 thes. theol. *Famosis-*
simum incantatorum genus Iiddonim
Leuit. XX, 6, plane est praeteritum.
Repudiamus hoc officium uiri clarissimi
ac liberalitatem eam uel hoc nomine ,
quod proletaria quaeuis corradere Bud-
deo animus non erat , et sufficiebant ab
eo quum pa. 688 , tum pa. 707 prolata.
Finis hic uiri clarissimi nugarum est :
prolixa non uno loco occurrunt episo-
dia , iterationes frequentes , et apo-
dioxes crebrae , quibus argumentorum
quo.

quorundam uberior tractatio et rerum
difficilium discussio in alium locum re-
iicitur, quum opportunior *dari non
potuisset*. Haec eodem iure, quo Reim-
mannus adfirmat, nos negamus, iis,
quae in tota hac adcusatione is parturi-
uit, ut et ridiculo, qui natus est, muri,
illa Horatii adcommodantes:

--- amphora coepit

*Institui: currente rota cur urceus
exit?*

Ceterum isthaec quidem pro S. V. Bud-
deo dixisse in praesentia satis habeo: ad
me uero quod adinet, excusli peram
Reimmanni scholasticam; inuenta in
ea Hecates coena est, isque mihi ra-
tionem in posterum reddet quum reli-
quorum, in diatriba anticritica temere
et barbare denuo effutitorum, tum
bastroperitae, quod mihi imposuit, ac

σπερμολόγῃ nominis, curaboque,
pseudoepiscopus hic Latinitatis
ut ueluti obtorto collo in
ordinem cogatur



pon T/d 232

✓

f

ULB Halle 3
004 551 427




sb.

Vol AP = 3

nc







Farbkarte #13

B.I.G.

963 4

VINDICIAE
NOMINIS
B V D D E A N I
CONTRA OBTRACTATIONES
NUPERAS
IAC·FRID·REIMMANNI

Responſio ad cap. I anticriticae diatribes, quam
diatribae criticae de uerbo collimare iſte
oppoſuerat

I E N A E
SVMTV VIDVAE MEYERI
C I O I O C C X X V I

